

tius. Illa autem attrahentia sunt, quæ ex altô vehementiùs extrahunt, juxta *Galen. l. 5. simpl. med. fac. c. 17.* Hunc usum agnoscit etiam *Th. Fienus l. c.* in vesicantibus, quibus utitur, ubi insigniter trahendum est, & ubi in altô latitant humores frigidi, crassi & continuaces, qui cum sint pertinaciter infixi, pervicaciter attrahi debent. Attractio enim commune genus vesicantium est, quæ à calido, sicco, tenui & terrestri dependet, juxta *Heurnium l. c.* Unde in vesicantibus vis attrahendi major est, quàm exulcerandi.

Quibus corporis partibus adplicanda sint vesicantia, ipsæ indicationes & affectuum circumstantiæ designant. Ita ad revellendam materiam morbificam à capite, partibus inferioribus; ad derivandam verò superioribus adplicanda suadent *nonnulli*. Commodissimè *humeris* atque *scapulis*, *cervici* atque *brachiis* hóc in casu adplicantur. *Capiti*, de rasis capillis, in dolore capitis, lethargô, epilepsiâ, apoplexiâ, vesicantia adplicat *Septalius*. *Post aures* in catarrhô *Matth. de Gradibus*, in lethargô *Rudius*, in convulsionibus epilepticis infantum *Thomas Willis de morb. convuls. c. 4.* Et porro in hydrope *abdomini* adplicare jubet *Capivaccius*.

#### CAPUT IV indicantia & permittentia proponit.

**N**ecessaria est hæc doctrina, cum notum sit, quòd hęc neglectâ, nullô modô satisfieri possit symptomatibus. Omnino generaliora primùm sunt imploranda auxilia, quæ cum voto & scopo non satisfecerint in omnibus, progressus conceditur ulterior ad specialiora, præsertim cum indicent symptomata particularem evacuationem, modò revulsione, aversione, interceptione, modò etiam derivatione præstandam.

Indicationi talismodi privatæ exactè respondent tria auxilia è chirurgiâ petita: vesicatorium, fonticulus & setaceum, quorum singulum sensibilibiter succum à sanguine diversum evacuare valet; hinc uni eidemque omnia satisfaciunt indicationi, nisi quòd differant applicandi modò & diversâ operandi ratione.

B

Præ